QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MATVTINIS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VIII. IANVARII,

MAGISTRO GEORGIO CORNVTY DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An cuiuis humori certo tempore dominium?

NIHIL nutritur quod vitam non habeat. Nutritionis neceßitatem inuehit perpetuum triplicis ſubſtantiæ effluuium: Quod calor inſitus humidum primigenium continuò ſorbillans, ſubſtantiam humidam in vapores, vrinas, ſudores digerens, ſolidam atterens, ſpirituoſam diſſipans, promouet. Vnde ſitis, fames, reſpiratio pulſui minimè analoga: Quarum illa, potus frigidi humidi: Hæc, cibi calidi ſicci eſt appetitus: Tertia ab aëre refrigerium, & ſpiritus alimentum emendicat. Aërem, contrarium corpori alimentum, pulmo excipit: Cibum & potum ventriculus. Conficit altrix animæ facultas attractricis, retentricis, concoctricis, expultricis vſa miniſterio.

HINC aëris, cibi, & potus moderatus ac tempeſtiuus vſus εὐκρασίαν; immoderatus ac inſolens δυσκρασίαν inducit. Quorum tamen omnium par, & æqualis neceßitas, ſine quibus vitam viuere, ne momento quidem temporis, nulli vnquam animanti conceſſum. Hęc diſſimilia naturæ noſtræ, hæc ſimilia ſemper. Omniáque alimentum vnum, idémq; plura: ſubſtantiam auget, corroborat, καὶ σαρκοῖ, ſiccat, frigefacit, humectat, calefacit, immutat, immutatur. Alimentum idem ac medicamentum. ὑδροποτὸν medicamentum optimum, alimentum peſſimum: at nutritionem in ſingulis partibus prouehit.

PARTIVM corporis aliæ ſpermaticæ; venæ, nerui, arteriæ, cutis. Aliæ ſanguineæ, viſcerum parenchymata, muſculi. Omnium alimentum ſanguis; quô hæ confeſtim, illæ ſenſim reficiuntur. Ex parenchymatis, hepar ortu, & natura primum; facultatum vitalium & animalium fundamentum; ſpiritus naturalis princeps; venarum fautor, non author; humorúmque quatuor ſanguinis, pituitæ, vtriúſq; bilis, à quibus tota vitæ fœlicitas emanat, ſcaturigo. Quos ex elementis conflari abſurdum, elementorum formas, qualitates, materiam in mixtis deliteſcere, abſurdius.

VERVM ſua humoribus ſunt σύστασις, temperies, γενέσεως, διαμονῆς καὶ κινήσεως locus, ſuus ſapor, color, incrementum. Sanguis mediocris, calidus humidus, putredinis tamen neſcius, hepar, venę, nares, dulcis, ruber, ver. Bilis tenuis καὶ ἀναφερὴς, calida ſicca, propria cyſtis, circum hepar, aures, amara, flaua, æſtas. Pituita craſſa, frigida humida, ſtomachus, lumbi, os, ἄποιον, alba, hyems. Melancholia deniq; grauis, frigida ſicca, ὑπὸ τὸ ἧπαρ, lien, oculi, acida, oleoſa, autumnus.

VT humorum quadripartita diuiſió, ſic totius orbis, anni, ætatis, diei; quorum ſingulis partibus proprium eſt cuiq; humori dominium. Orientalibus, veri, pueris, primis horis diei, ſanguis imperat. Meridionalibus, æſtati, florenti ætati, meridiei, bilis moderatur. Septentrionalibus, autumno, declināti ætati, veſpertinis horis, melancholia dominatur. Occidentalibus, hyemi, ſenili ętati, noctu, pituita prįeſt. Ver ſaluberrimum, αἵματος ῥύσεις, furores, anginas, puſtulas, liberalioris ſanguinis indices, profert. Æſtas, febres ardentes, continuas, & acutos omnes, qui à cauſſa calida, febrémq; comitem habēt, ex humoris biliosi copioſo prouentu, gignit. Autumnus, exitialibus morbis opportunus, quartanas, lienes, tabes, melancholię ſoboles, efficit. Hyems denique pleuretides, peripneumonias, dolores pectoris, laterum, ex pituitę longa propagine, producit.

Ergo cuilibet humori certo tempore dominium.

Aſſerebat ANTHONIVS LE RAT, Syluanectenſis. Anno R. S. M. DC. XV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Franciſcus le Sage.	*M. Ioannes Akakia.*	*M. Petrus Collier.*
M. Georgius Cornuty.	*M. Gaſpard Brayer.*	*M. Robertus le Secq.*
M. Guillelmus Du Val, Prof. Reg.	*M. Nicolaus Henault.*	*M. Simon le Tellier. Med. Reg.*